

vel sub Lege, neque, & omnium minime, in novo Testamento facultas interpretandi atque applicandi Sacras Literas certo cuidam hominum generi per modum Monopolii ita fuit tributa, ut omnes alii exclusi sint. Alia sane Viri Dei, Moisis, mens fuit, qui spurium nonnullorum zelum, vel rectius invidiam, coercens, optabat: Utinam omnis populus Dei prophetaret! utinam Iehovah Spiritum Suum super omnes mitteret. Num. XI, 29. Atque inter praeogativas novi Foederis refertur Ioël III, 1. quod & Filii & Filiae Prophetas atque Prophetissas acturi acturaeque sint, cuius promissionis Primitias tantum constituunt ea, quae Act. II. legimus, neque solius Philippi Evangelistae quatuor Filiae, quarum Act. XXI, 9. mentio fit, accepere Spiritum Prophetarum.

VI. Male porro habet Dn. CARPZOVIVM, quod Anti-Christianam mentem iis tribuam, qui Parochianos suae Paroeciae adherere iubent: Sermo mihi est in eo loco, quem carpit Dn. CARPZOVIVS, de eo casu, cum Pastor loci vel ecclesiae cuiusdam aegre fert, imo plane censet, nullo modo esse tolerandum, ut quis ex eorum numero, qui secundum Iura ecclesiastica Parochianos eius constituunt, alios Verbi divini Ministros pro concione audiat, quorum propositio magis est

est